Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2635

Quelle:
Copyright:

nuntur: et ſub illis due nature rerum (loca Hiſtoriae naturalis) *ad ipſum ewangelium ſimilitudinarie pertinentes: et ſemper ſub qualibet materia unus verſus qui declarat ipſam materiam et exponit, et in oppoſito folio omnis picture expoſicio, qualiter ewangelio concordent ſingula cum ſua moralitate plenius continetur. Iſte enim totus liber per Gryſeum monachum Vdalricum quondam Abbatem in campo Liliorum ex paruitate ſui ingenii propter ſimplicitatem et penuriam pauperum clericorum multitudinem librorum non habencium eſt ſpecialiter compilatus. Quia picture ſunt libri ſimplicium Laycorum. Diuiditur autem liber iſte in duas partes, videlicet de tempore et de ſanctis. De tempore, quia ponuntur ibi omnia ewangelia dominicalia et feria lia tocius anni. Quibus tamen habentur ewangelia propria et leguntur. de ſanctis vero ſemper ponitur ibi illius ſancti paſſio et concordancie ſub eodem. Poſtea autem communia ſanctorum ſunt poſita et decem precepta cum concordanciis in dextra parte praecepta ſeruantibus quid remuneracionis: in ſiniſtra transgredientibus quid punicionis ſentiant aſſignatur. Ponuntur et poſt hoc plura notabilia ſatis pulchra: et in toto libro vna hyſtoria pluries quam ſemel nullibi fere poſita cognoſcatur. ſed in aduentu domini de Tempore et de Sanctis Andree Apoſtoli incboatur. Precor ergo te, o lector, quatenus mei compilatoris habere digneris memoriam apud deum. Et ſi forte aliqua minus bene aut plene dicta inueneris, emendare ac caritatiue corrigere non obmittas. Valitudinem opto omnibus legentibus et ſalutem. Amen.* Atque ad hanc normam Adparatus ſacrarum Dictionum pro toto anno texitur, ſingulis ſingulas paginas occupantibus; abſunt tamen *picturae*, et Dictionibus de *Sanctis* Diſtichon ſubjicitur. Ita ad D. *Andreae* feſtum legas:

Nos pius Andreas doceat vitare galeas
Fortibus armatis gravidas rigidasque piratis.

Ad calcem habetur Vitiorum et Virtutum capitalium oppoſitio ſub titulo: *Campiductores vitiorum et virtutum eisdem oppoſitarum. Deſcriptio hominis.* Item *Currus pergens ad celum*, et *Currus ad infernum.* Sub quo: *Et ſic eſt finis huius compendij vtilis quod concordancia caritatis appellatur. Finitum eſt per Johannem Schell.* De Autore in *Chronico mſ.* Coenobii *Campililiensis* ita legitur: XVII. *ab an. 1344. Abbas Vlricus, cui praeter cetera operoſiſſimus liber ab eodem conſcriptus famam fecit. Eum librum Concordantiam Charitatis inſcripſit. — Porro ſponte ceſſit dignitate, ut ſtudiis liberius vacaret, incertum, quo tempore; conſtat tamen triennio eum praefuiſſe.*

VI. *fol.* 191. p. 2. *Commune de ſanctis.* Sunt Sermones, potius Synopſes Sermonum de Apoſto-

lis